XV.

DISSERTATIO DE CAUSIS UBI MEDIATUS IN PRIMA INSTANTIA CORAM SUMMIS IMPERII TRIBUNALIBUS CONVENIRI POTEST,

PRÆSIDE

JOANNE FRIDERICO HERTLING,
JCto, Serenissimi ac Potentissimi Electoris Palatini Regiminis & Collegii Revisionis Consiliario, nec non Pandect. Professore Ordin.

PRO LICENTIA

defensa ab Auctore

JOANN. CHRISTOPH. RINGER,
SUEVOFURTHO-FRANCO.

HEIDELBERGÆ, 1725.

SYNOPSIS.

§. I *Agit de Jurisdictione omnimoda in Subditos tanquam effectu Superioritatis Statuum territorialis.*

§. II. *Dicitur de Privilegio primæ Instantiæ, quo Subditi Statuum se tuentur contra evocationem Supremorum Imperii Tribunalium.*

§ III. *Fit Transitio ad Casus exceptos.*

§. IV. *Describitur Mediatus & injicitur mentio de Nobilitate & Pagis immediatis.*

§. V. *Quid per primam Instantiam intelligatur, indicat.*

§. VI. *De Summis Imperii Tribunalibus eorumque potestate judiciaria, positivè & negativè.*

§. VII. *Exhibet Casum primum Tractationis, violatæ scilicet Pacis Religiosæ.*

§. VIII. *Disserit de ejus Praxi.*

§. IX. *Proponit Casum secundum, violatæ Pacis profanæ.*
§. X. *De Causis Fiscalibus.*
§. XI. *De processu in causis Fiscalibus contra Mediatos S. Rom. Imperii Cives.*
§. XII. *De casu violati Privilegii Cæsarei.*
§. XIII. *De Difficultate hujus Actionis.*
§. XIV. *De Casu Possessionis litigiosæ.*
§. XV. *De Constitutione ex L. Diffamari.*
§. XVI. *De Praxi hujus Constitutionis & Differentia Actionis, quæ fundatur in L. Diffam. C. d. in gen, & manumiss. ex Jure Communi.*
§. XVII. *De Causis protractæ vel denegatæ Justitiæ.*
§. XVIII. *De Casu, ubi Dominus Subditum suum in Summis Imperii Tribunalibus convenire vult.*
§. XIX. *De Casu, ubi quis Privilegio primæ Instantiæ renunciavit.*
§. XX. *De eo, qui contra sententiam in Consilio Aulico aut Camera Imperiali latam turbatur.*
§. XXI. *Recensentur tres Casus, 1.) de eo qui Judæos recipit, 2.) Cancellariæ Imper. Jura debet aut 3.) in Commissariorum Salario exsolvendo morosus est.*
§. XXII. *De Continentia Causæ.*
§. XXIII. *Epilogus.*

D. M. J.!

§. I.

INter Jura illa eximia, quæ cum superioritate territoriali acqusivére Status Imperii, præ ceteris eminere mihi videtur *Jurisdictio omnimoda in subditos.* (1) Vi enim hujus Privilegii Juris dicendi potestas, quæ antiquis temporibus privativè & solitariè ad Imperatores spectabat, (2) cum Statibus Imperii Romano-Germanici ita est communicata, ut eam hodie non amplius mandatario & administratorio sed proprio nomine exerceant. (3) Hinc non tantùm varias condunt leges atque statuta, Land- und Stadt-Rechte, Policey-Ordnungen ꝛc. sed & instituunt in provinciis suis Tribunalia atque Collegia, quæ jus atque justitiam suorum nomine & auctoritate inter cives administrant. In his subditi ipsorum, ceu prima sua Instantia, regulariter in omnibus causis conveniri, atque de actionibus suis respondere debent, nec ad fora extranea. invitô Dominô, trahi queunt. Si autem de facto ab aliquo id attentetur, rectè prohibent subditos, ne compareant, revocant

vocant eos Mandatis pœnalibus (4), vel, si res sit cum potentiore, petunt contra gravantem Mandata Cæsarea, de non turbando in possessione l. qs. jurisdictionis territorialis, neque trahendo subditos extra territorium, sed remittendo causas ad forum competens S. C.

(1) Rehweder. *Introduct. ad jus Publ. Part. spec. Sect. 2. c. 13. §. 12. sq.* Reincking. *d. Reg. eccl. & sec. l. 1. tl. 3. c. 4. n. 104. seqq.*

(2) Struv. *Syntagm. Jur. Publ. cap. 26. §. 15.* add. Hert. *Comment. d. Consultat. Legib. & judic. in special. Rom. Germ. Imp. Rehusp: §. 19. pr.*

(3) Secundum tritum illud: *Qui habet territorium, habet etiam pro se titulum præsumtum cujuslibet jurisdictionis in territorio* per l. *nec quicquam 9. ff. d. Offic. Proc.* Text. *J. P. Stat. Imp. Tit. 4. n. 94. seqq.*

(4) Paurmeist. *d. Jurisd. l. 1. c. 25. n. 41.* Carpz. *d. Proc. tit. 2. art 1. n. 18.* Lauterb. *Colleg. Theoret. Pract. l. 2. t. 1, §. 35.*

§. II.

Quid? quod ne Cæsarea quidem Majestas, quæ tamen aliàs fons omnis jurisdictionis dicitur, (1) Statibus hac in parte præjudicat, aut privilegium hoc primæ Instantiæ per Processus inhibitorios, cassatorios infringit. (2) Multo minus summis Imperii Tribunalibus licitum est, (3) subditos Statuum, neglecto forô inferiori, immediatè evocare, vel Mandata contra eos emittere. Hæc enim contra Immediatos regulariter tantùm locum habent, (4) neque causæ mediatorum aliter, quàm interposita appellatione aut alio remedio devolutivo ad summa Imperii Dicasteria dovolvuntur. (5)

(1) Conf. *Quinquert. Cameral. quæst. 1. §. 19. seq. & quæst. 2. §. 15.*

(2) Vid. *Cap. Leopold. §. 3.* Lauterb. *Tr. inaug. de Condom. territor. cum sup. conj. c. 6. th. 3. & 4. ibique Dd. citt.*

(3) *Rec. Deput. d. anno. 1600. §.* Es wird nicht weniger *29. ibi:* daß deßfalls denen Magistratibus proximè immediatis in dem nicht vorzugreiffen Jung. *C. O. C. P. II. Tit. 25. §. 4.*

(4) *C. O. C. P. II. tit.* Es soll auch erstlich 1.

(5) Facit huc distinctio Cameralistarum inter causas S. Q. & Appellationis, quam tamen, ceu minus accuratam, rejicit Ludolf. *Comment. Syst. Jur. Cam. Sect. 1. §. 2. n. 1. & 2. pag. 22.*

§. III.

Sunt tamen nonnulli casus excepti, ubi cessante hôc fori Privilegio, Mediatus Imperii civis supremornm Tribunalium jurisdictionem omninò agnoscere, neque exceptione primæ Instantiæ se contra illorum Mandata aut

Citationes tueri valet. Limitatur hoc ipsô regula supra à me proposita, animum igitur induxi meum, pauca quædam pro tenuitate mea de iis proferre, & fundamentum, quod habent in Constitutionibus Imperii, investigare. Faxit Deus T. O. M. ut omnia cedant feliciter!

§. IV.

Ad rem verò ipsam antequam me accingam, haud incongruum esse videtur, quædam de terminis in rubro positis præmittere atque vel duobus verbis eorum explicare significationem. Dicitur itaque mihi (1) heîc *Mediatus*, qui immediatis Imperii civibus, quoad personam subjectionis nexu, homagium & alia (2) subjectionis onera exhibendo devinctus est. Ex quibus manifestum est, quòd excludam ab hac tractatione liberam Imperii Nobilitatem, (3) die Reichs-Freye-Ritterschafft, atque pagos immediatos, (4) die Reichs-Dörffer. Quanquam enim negandum non est, eos ratione certorum Jurium & Bonorum Feudalium etiam aliis Principibus parere, hoc tamen non obstat immedietati ipsorum, per varia Privilegia Cæsarea atque Sanctiones Imperii pragmaticas firmissimè stabilitæ.

(1) Schweder. *Introd. in Jus Pub. Part spec. sect. 2. c. 19. in princ.*

(2) Quod enim ex sola homagii omissione ad subjectionis negationem non firma semper fieri possit argumentatio, docetur in dissert. Höfflichii sub præsid. Struviano Jenæ nuper habita, *de Dominio directo in alieno territorio §. 8.*

(3) Quantis animorum motibus nostra ætate de Nobilium horum immedietate personali, præcipuè si in alieno territorio habitant, disputatum sit, docent scripta *Burgermeisteri* aliorumque hac de re edita, inprimis verò Collectio anonymi, sub titulo: *Nobilis territorio subjectus.*

(4) Inter quos notissimi sunt: Gochsheim und Sennfeld, patriæ meæ quàm proximè adjacentes. Episcopus Herbipol. tanquam Protector eorum, als ihr angenommener Schutz- und Schirm-HErr, varia in eos exercet & prætendit jura, ob quæ gravissimæ in Consilio Imperii Aulico & Camera Imperiali enatæ sunt lites, quæ quidem partim decisæ partim verò in judicio adhuc ventilantur. Sunt etiam nonnulla puncta, quæ ob paritatem votorum à Camera ad Comitia Ratisbonensia sunt remissa, dequibus conferri potest eorum unterthänigstes Memoriale an die allgemeine Reichs-Versammlung, ꝛc. cum adjunct. ubi plura invenies. add. Lünigs Reichs-*Archiv Part. spec. contin. 4. Tom. 2.* Fortsetzung *pag. 803.* Ludolf. *Comment. System. Sect. 1. §. 2. n. 8. in not.* ubi disqui-

disquirit: *An de Communitatibus hisce prædicari possit Jus territoriale*, ob diese Reichs-Gemeinden auch Territorial-Herren seyen?

§. V.

Vocis, *Instantiæ*, variæ sunt significationes, variæque distinctiones apud Doctores; (1) sed missis hisce, indicâsse mihi sufficiat, quod *prima Instantia* mihi sit illud judicium, ubi adversarium meum, contra quem Actio mihi competit, primò convenire debeo, da ich meinen Gegentheil zuerst belangen muß. Differt (2) ab hac *Instantia superior*, ubi nullitates & iniquitates Judicii inferioris, interpositâ provocatione, corriguntur. (3)

(1) Vid. Blum. *Proc. Cameral. Tit. XXV. n. 68. seq.* Berger *Oeconom. Jur. lib. 4. tit. 1. §. 2. not. 2.*

(2) Vid. tn. Lynck. *d. Gravam. extraj. pag. 14. n. 8.* ubi docet, quòd Instantia appellationis ratione provocantis nonnunquam possit esse prima.

(3) Add. Uffenbach. *d. Consil. Imp. Aul. Cap. 16. subject. 4.*

§. VI.

Quid per *Summa Imperii Tribunalia* in rubrica indicare velim, quilibet, vel me tacente, intelligit. Sermo mihi nimirum est de excelsissimo Consilio Aulico & Camera Imperiali. Illud Viennæ, hæc Welzlariæ floret. Ambo in justitia administranda concurrunt (1) cùm inter Mediatos Imperii cives, ita, ut ab eorum decretis & judicatis non detur provocatio (2) nec regulariter Recursus ad Comitia. (3) Rectè tamen eorum potestas restricta est ad LL. Imperii fundamentales, imprimis quod ad causas Ecclesiasticas, (4) Criminales, (5) & Politicas (6) Policey-Sachen, quippe quæ certis (7) tantùm casibus ad summa hæc Dicasteria deferri possunt. Quos verò hâc vice penitius investigare, meum non est. Consuli possunt Doctores Juris Publici, (8) vel quod tutius, ipsæ Imperii Leges & Ordinationes.

(1) *Ordin. Jud. Aul. Ferdin. III. Tit. 2. §.* So wollen wir auch 7. Maurit. *Disp. d. Jud. Aul. §. 12. seqq.* Casus verò, in quibus Cam. Imp. non concurrentem habeat jurisdictionem, recenset Jo. à Schultz in *Diss. pecul. Francof. hab. 1706. it.* Uffenb. *de Consil. Aul.*

(2) Competunt tamen alia remedia legitima, v. g. Supplicationis Revisionis, Restitutionis in integrum &c. de quibus vid. D. Crameri, Consiliarii Patriæ meritiss. *Manual. Proc. Imp. Aul.* Uffenb. *c. l. Cap. 23.* add. *Diss.* Schwederi elaboratiss. *de Concursu & electione utiliori remediorum contra sententias in summis Imp. Tribunalibus latas.* per tot.

(3) In quibus verò casibus Recursus hic de Jure locum habeat, exponit Happel.

Happel. in *diss. de Recursu ad Cæsaream Majestatem vel Comitia universalia*, nec non Ludolf. in *Animadversionibus* ei subject. item *in Comment. Syst. Sect. 1. §. 1. pag. 19. in not.* add. Kurtze und gründliche Bewährung, daß der Recursus ad Comitia in der Bußeckerthaler Sache dem Hochfürstl. Hauß Hessen-Darmstadt nicht præcludiret werden könne, ubi complura hujus Recursus exempla exhibentur.

(4) Plenius de his tractant *Acta in Causa Magistratus & Minist. Eccl. Wetzlar. contra Parochum* Hellmund, quæ extant in der Staats-Cantzley *Part. 26.* Jung. *D. Crameri diss. inaug. d. Causis Consistorialibus ad Judicium Aulicum pertinentibus.*

(5) Lauterb. *Coll. Theor. Pract. L. 49. t. 5. §. 4.* Hugo *d. Stat. Reg. Germ. cap. 3. §. 41.*

(6) Vid. omninò *Rec. Imp. noviss. §. 106.* Mev. *Part. III. dec. 154.*

(7) Si nempe Nullitas insanabilis in judicio inferiori sit commissa, eaque manifestè possit doceri, Uffenb. *d. consil. Aul. cap. 10. subsect. 2. n. 2.* Remittuntur tamen plerumque causæ ad judicem competentem, correctâ nullitate & præscriptâ viâ, quomodo imposterum contra Inquisitos sit procedendum. Text. *ad R. I. N. disp. XI. n. 88. in fin.* Notabile haud ita pridem legi Conclusum Judicii Aulici in Sachen Gebrüdere. G. contra von N. ubi judici inferiore injungebatur, ut prævia legali inrotulatione, Acta Inquisit. ad impartialem Facultatem Juridicam transmittat, Responsumque, quod inde venit, statim sic clausum Consilio Imp. Aulico ad publicandum exhibeat.

(8) Præcipui ex his uno velut intuitu videri possunt apud Ludolf. *Comment. System. Sect. 1. §. 14. n. 31. p. 216. seqq.*

§. VII.

His itaque præmissis rem ipsam aggredior, & primò quidem casum *Violatæ Pacis religiosæ*, (1) qui ob præstantiam objecti sui reliquos omnes antecellit. Cui enim salus sua, illi etiam religio, curæ cordique est, & inter bona præcipua numeratur. Quocirca nemo in ejus exercitio (2) libero turbari aut offendi debet. Vetant id leges cùm divinæ (3) tum humanæ, adstipulante & suadente æquitate naturali. Nam ubi Religio non arta atque tecta manet, ibi nec in Politicis magna speranda est securitas, (4) sed metuendæ dissidiæ, rixæ & tandem bellum intestinum, quod omnium rerum censetur miserrimum. Experti id sunt Majores Germaniæ nostræ maximo suo damno, ideoque saluberrimas circa hanc rem condiderunt leges.

leges. Iniverunt Pacta, Transactiones, Recessus (5) &c. gravissimasque contra transgressores statuerunt pœnas, ita ut nec Mediatos ab iis eximerent. Concedunt enim, si mentem legis rectè inspicias, etiam contra Mediatum Citationem super fracta pace religiosa, nec non Mandata (6) ad consequendum id quod mihi debetur, & ad pœnam Fisco Cæsareo inferendam, quandoque etiam ad Bannum.

(1) Cur Religiosa dicatur, vid. ap. Schilter. *d. Pac. publ. c. 1. §. 8.* Summam verò hujus pacis exhibet Blum. *Tit. XXVIII. à num. 12. usque 63.* add. Deckherr *Consult. For. c. 8. seqq.* Text. *J. F. Stat. Imp. Tit. III. n. 200. seqq.* junct. *n. 309. seqq.* ubi disquirit, an & quatenus ii qui à *pietatis* studio nomen accepere, patrocinio pacis hujus gaudeant. Legi etiam hac de re merentur ea, quæ disserit Ludolf. *Comment. System. Sect. 1. §. 6. n. 16.*

(2) Aut Jurium inde dependentium, v. c. perceptione Decimarum, aliorumque redituum huc spectantium. *Inst. Pac. Art. V. §. 45.*

(3) Facit huc præceptum illud Servatoris nostri universale, *Matth. VII, 12.* quod si observaretur ubique, multæ cessarent lites.

(4) Quia religio maximum influxum in statum regionis externum habet, prout ex quotidiana experientia & antiquis rerum gestarum monumentis satis abunde constat, vid. elegantiss. Pufendorffii *Tractat. de Habitu Religionis Christ. ad Statum Civil.* per tot.

(5) Præ reliquis nominanda est Transactio Passaviensis & Pax August. d. Anno 1555. nec non Osnabrugens. quæ cunctis pacificationibus insequentibus basin & fundamentum præbuerunt.

(6) Hæc tamen si petantur super hac Constitutione, nunquam S. sed semper C. C. decernuntur, *C. O. C. P. 2. t. 25. §. 11. & 12.* Blum. *Tit. XXIX. n. 200. seqq.* ubi rationes adducit. Consultius igitur est, qualificare petitum suum super quatuor Casus seu *O. C. Tit. 23.* præsertim si agatur contra Immediatum.

§. VIII.

Quodsi verò de praxi heic quæras, negari quidem non potest, rarissimum esse casum, ubi Mediatus ob crimen fr. pac. relig. solitariè (nam aliud est, si cum Domino suo territoriali simul convenitur) à Consilio Imper. Aulico aut Camera citatus, multò minus condemnatus sit. Ast exinde non sequitur, quòd lex prorsus sit abrogata, quia si ita argumentari velis, multa in Jure nostro temerè pro abrogatis pronunciare deberes. Textus (1) & Ra-

tiones, (2) quibus veritas thesis nostræ nititur, tam evidentes sunt, ut neque dissentientium Doctorum (3) auctoritas, neque usus ratus eam destruere valeat. (4) Quilibet Actor eligit remedium, quod sibi tutissimum & commodissimum videtur, dispiciendum igitur, an consultum sit, Dominum territorialem ob conniventiam simul convenire, an verò, omissô illô, Actionem contra solum subditum dirigere.

(1) Continetur in *C. O. C. P. II. tit. 10. in rubr.* von Personen und Sachen ꝛc. ibi Ohngeachtet, ob sie mit oder ohne Mittel dem Reich unterworffen. Quæ verba ob paritatem rationis rectè etiam huc applicantur, Ludolf. *Comment. Syst. Sect. 1. §. 4 n. 4.*

(2) Has vid. ap. Blum. *tit.* XXVIII. *n 73.* it: *Tit.* XXVIIII. *n. 290.*

(3) Inter hos agmen veluti ducit Deckh. *ad. Blum. t. 29. n. 62.*

(4) Conf. Lynck. *d. Grav. extraj. Cap. 9. P. 2. §. 49. n. 7.* ibique cit. Springer. add. *Auct. Breviculi Proc. Imp. Aul. Tit.* XXIX. §. *1.*

§. IX.

Eadem, quæ hactenus de Pace religiosa dicta sunt, suo modo possunt appplicari ad *Pacem profanam* 1), quippe quæ etiam forum Summorum Imperii Tribunalium per se fundat, nullô habitô personæ respectu, sive sit Mediata, (2) sive Immediata. Casus hic iterum rarus est, imò hodie vix dabilis, quoniam vis atrox & alia hujus Actionis requisita difficulter in Immediatum, nedum Mediatum Imperii civem cadunt. Hodiernis temporibus omnes diffidationes & violentiæ in Germania cessant, ubique ferè *locorum* in promtu sunt Judicia optimè ordinata, quæ sine ulla mora auctoritatem suam interponunt, auxiliumque oppressis præstare solent. Vis non amplius est Jus, nec vindicta privata inter cives toleratur, sed gravissimis coërcetur pœnis. Et hæc est ratio infrequentiæ hujus Actionis, cui diutius immorari supervacaneum duco. (3)

(1) Historiam Pacis profanæ seu publicæ suppeditat Schuz. *J. Publ. Vol. 2. Ex. 4. th. 2.* ibique Scharschmidt.

(2) Text. *ad R. J. N. Disp. II. §. 45.* Gail. de *P. P.* Lib. I. c. 7. n. 25.

(3) Ludolf. *c. l. §. 5. n. 7.*

§. X.

Pergo ad casus in praxi frequentiores, *Causas* nimirum *Fiscales*, quæ in constitutionibus imperii publicis passim recensentur. (1) Plurimæ quidem inter eas tantummodò ad Status imperii quadrant, adeoque ad nostram tractationem

tionem propriè non pertinent; Sunt tamen aliæ, quæ omninò etiam in Mediato locum habent. Sic v. g. huc spectat, quando Privatus dogmata perniciosa in scriptis publicis disseminare audeat, (2) aut summis imperii Dicasteriis, eorûmque Decretis, Mandatis, Rescriptis &c. debitam reverentiam non exhibeat, vel Notarios Cæsareos publicos & Nuncios Camerales, Processus insinuantes, malè tractet. (3) Porrò eò referri potest, si quis Nobilem, Baronem, Comitémve imperii se mentitur, aut insignia cum Galea aperta, offene Schild und Helm, gerit (4), nec tamen Privilegium habet. (5)

(1) Comp. Blum. *Pr. Cam. Tit. XXX. n. 8. seqq.* Text. *ad R. J. N. Disp. X. §. 16. usque 50.*

(2) Ludolf. *comment. System. sect. 1. §. 6. n. 16. p. m. 58. sq.* ubi præjud.

(3) Id. *c. l. n. 24.*

(4) Vid. *Reform. Polit. August. d. anno 1530. tit. 15. & de anno 1548. tit. 12.*

(5.) *Brevic. prax. Imp. Aul. Tit. XXVIII. §. 27.* add. omninò *Rescriptum Cæsareum de anno 1682.* quod exhibet Uffenb. *de consil. Aul. cap. 7. sect. 1.*

§. XI.

Omnibus hisce & similibus casibus Procurator Fisci Cæsarei immediatè procedit contra Delinquentes, licèt in territoriis Statuum domicilium habeant. Non juvat eos Exceptio Fori aut Jus de non evocando, cùm casus hos leges & constitutiones imperii expressè exceperint & jurisdictioni Cæsareæ immediatæ quasi reservârint. (1) Ne verò Advocatus Fisci Status Imperii eorumque subditos sine sufficienti ratione Processibus oneret, saluberrimè provisum est, ut in utroque Archi-Dicasterio certi deputentur Consiliarii & Assessores, quorum consensu & præscitu in instituendis Actionibus suis utatur. (2) Probè hi perpendunt, an causa ad suprema hæc Tribunalia spectet: an verò rectius ad Fora Principum, quippe qui aliàs etiam Jure Fisci in territoriis suis gaudent, sit remittenda? (3)

(1) *C. O. C. P. 2. t. 21. pr. & §. ult.* Lynck. *de Grav. extraj. cap. 9. part. 2. §. 49.*

(2) R. H. O. *Tit. 6.* §. Damit auch 5. R. I. *Novissi.* §. berührtem 93.

(3) Vid. Text. J. P. *Stat. Tit. 4. §. 272. seqq.*

§. XII.

Post Causas Fiscales referunt huc communiter Doctores *Casum violati Privilegii Cæsarei.* (1) Sunt equidem nonnulli, qui hac in re dissentiunt (2), & Reum Mediatum non coram Summis Imperii Tribunalibus sed foro Domini territorialis sui conveniendum esse statuunt. Ast, rationes eorum tam validæ non videntur, ut nos à doctrina communi dimoveant. Majestati enim, quâ Augustissimus pollere debet, omninò consentaneum est, ut ipse solus de Privilegiis, quæ vi Reservatorum concedit, cognoscat (3), eaque propriâ auctoritate contra violatores quoscunque tueatur. Qui Privilegia Imperialia temerè lædit, ipsam Cæsaream Majestatem, ejusdemque Jura læsisse censetur, adeoque rectè hujus vindictam sentit. Quocirca etiam hodie plerumque Fiscalis Generalis simul cum Parte procedit contra Delinquentem & ad pœnas Privilegio insertas agit, sicut id varia præjudicia passim obvia testantur.

(1) Blum. *Tit. XXXVIIII. n. 2.* Lynck. *c. l.* Uffenbach. *d. Consil. Imp. Aul. cap. X. Sect. 2. n. 23.*

(2) Deckh. *Proc. Inform. p. 25. & ad Uffenb. c. 10. t. 2. n. 27.* add. Mev. *P. 2. dec. 94.*

(3) Gail. *l. 1. O. 1. n. 7.*

§. XIII.

Ut autem Actio cum effectu possit institui, requiritur ex parte Rei non solùm sufficiens Privilegii ejusque contentorum notitia (1), sed etiam violatio dolosa. Quæ omnia, cùm luculenter debeant probari, Actionem satis reddunt difficilem. (2)

(1) Uffenb. *de consil. Aul. c. l.*

(2) Ludolf. *sect. 1. §. 11. n. 6. p. 157.*

§. XIV.

Occurrit jam *casus de possessione litigiosa*, quæ materia pristinis temporibus verè litigiosa fuit, hodiéque multis difficultatibus (1) obnoxia est, præsertim in applicatione ad factum. Sed meum nunc non est, evolvere controversias interpretum; sufficiat mihi demonstrâsse, quòd Mediatus heic iterum primam instantiam in Summis Imperii Tribunalibus sortiatur. (2) Contingit illud,

illud, ubi duo plurésve Mediati de possessione rei immobilis vel jurium litigant, & Jurisdictio inter plures Magistratus vel Dominos est controversa. (3) Ratio hujus constitutionis est, ne Partes litigantes, dum de Foro competenti incertæ sunt, ad viam facti transeant, & sic imbecillis à potentiore injustè opprimatur aut jure suo excludatur. Ex quibus constat, Spolia, Turbationes (4) &c. ad hanc constitutionem propriè non pertinere, sed requiri possessionem verè litigiosam & dubiam. In illis casibus alia quærenda sunt remedia, v. g. Mandata restitutoria, inhibitoria, conservatoria, & quæ ex Jure Communi ad retinendam vel recuperandam possessionem peti possunt, nisi Advocatus clienti suo præjudicare, aut solenne illud: Wie gebetten, abgeschlagen, loco Decreti reportare velit.

(1) Conf. omninò Ludolf. *comment. Syst. sect. 1. §. 7. n. 2. p. 65. seqq.* ubi causas harum difficultatum indicat, easque una cum quæstionibus principalioribus solidè resolvit.

(2) *C. O. C. P. II. t. 22. §. 1.* ibi: Partheyen, die mit Mittel dem Reich unterworffen.

(3) Text. *ad R. J. N. Disp. II. §. 45.*

(4) De his vid. Lynck, *d. Grav. extraj. cap. 5. sect. 1. §. 13. n. 6.* Mev. *P. 1. Dec. 139.*

§. XV.

Attingenda jam paucis est *constitutio ex L. Diffamari*, quæ sextum nobis præbet casum. (1) Tenetur juxta mentem hujus constitutionis Mediatus, qui Statum Imperii aut alium immediatum de fracta pace publica aut aliis causis (2) ad Cameram & Judicium Aulicum per se spectantibus diffamavit, in summis hisce Imperii Tribunalibus comparere, ibique in termino præfixo sub pœna perpetui silentii actionem suam proponere & causas traductionis legitime probare. Ratio hujus constitutionis desumpta est à notissimo illo pragmaticorum axiomate, quod Actor sequi debeat forum Rei. Diffamatus enim in causa principali pro Reo est habendus, quamvis in puncto diffamationis Actoris vices sustineat. (3) Priusquam citationem super hac constitutione obtinere queat, ante omnia diffamationem summariè docere debet, idque Documentis (4) vel alio modo in Legibus præscripto. (5) In quo differt hic Processus ab aliis citationibus, ubi tam accurata causæ cognitio præcedere non solet. (6) Deinde etiam requiritur, ut causa, de qua diffamatio facta,

Jurisdictioni Supremorum Imperii Tribunalium per se non eximatur, uti sunt causæ Matrimoniales, criminales &c. In his frustranea est provocatio, & Diffamatus jus suum prosequi debet in foro Diffamantis ordinario, quò tales causæ pertinent. (7)

(1) Continetur in *C. O. C. P. II. t. 27.* add. Lynck. *de Grav. extraj. cap. 9. p. 2. §. 49. n. 8.* Text. *ad R. J. N. Disp. 2. §. 46.*

(2) *C. O. C. c. l.* pr. ibi: in Friedbrüchigen, Schmach und andern dergleichen Sachen. Quid autem intelligatur sub ultimis verbis: und andern ꝛc. exponit Blum. *Tit. XXXVI. n. 14.* comp. Text. *c. l. Disp. 5. §. 15. seqq.* qui hanc constitutionem distinctè explicat.

(3) Gail. *lib. 1. Obs. 10. n. 1.*

(4) Non admittitur cum sola juramenti oblatione, Mev. *part. 3. Dec. 393.* & P. *9. d. 102. 103.*

(5) *Recess. Imp. Noviss. §. 83. C. O. C. c. l.* ibi: Glaubliche Urkund.

(6) Gail. *c. l. n. 7.* vid. tamen *Rec. Imp. d. anno 1654. §. 79.*

(7) Blum. *c. l. n. 10.*

§. XVI.

Quod ad Praxin hujus constitutionis attinet, inficias ire non *possum*, eam nostrâ ætate non adeo magnam esse quam olim, tempore *conditæ Ordinationis* Cameralis. (1) Crimen fractæ Pacis publicæ & aliæ causæ, de quibus in textu nostro sermo est, rarò hodie audiuntur, ergò etiam Diffamationes de iis non frequentes esse solent. Magis autem in usu est Actio ex famosa illa L. *Diffamari C. d. ingenuis & manumiss.*, quippe quæ latius se extendit, & toties potest institui, quoties existimatio (2) alicujus apud alios per verba & facta, v. g. Diffamationem de debito prætenso, Arrestationem Bonorum (3) &c, iniquè minuitur. Ad hanc dirigunt plerumque Advocati Supplicationes suas, cùm in Excelsissimo Judicio Aulico aut Camera Imperiali aliquem provocare volunt. Tenetur tunc etiam Diffamans comparere & de diffamatione respondere; Causa tamen principalis, nisi per se & suâ naturâ ad suprema hæc Dicasteria spectet, aut Prorogatio sit facta, remittitur ad Forum Austregarum aut aliud competens, additô terminô peremtoriô, intra quem ibidem legitimè proponi debet. (3) Quomodo autem ulterius in utroque Judicio contra Diffamantem, præsertim si contumax sit, procedatur, &

& quales in fine ferri soleant Sententiæ, longius hoc loco enarrare non attinet, disci id potest ex Commentariis Juris & Processus communis, cumprimis Gailii, qui fusius hac de re egit in suis Observationibus. (5)

(1) Ludolf. *sect. 1. §. 11. n. 2. p. 155.*

(2) Gail. *lib. I. obs. 9. n. 2.*

(3) Mev. *p. 5. Dec. 111. 124.*

(4) Blum. *c. l. n. 21.* qui allegat præjud. in Causa Hohenlohe contra Hohenlohe, ubi tres mens. ad Actionem in Austregarum Judicio instituendam præfixi sunt.

(5) Vid. *Obs. 11. & 12.*

§. XVII.

Venio nnnc ad materiam cunctis quidem Judiciis inferioribus exosam; multis tamen admodum familiarem; *de Justitia* scilicet *protracta vel denegata.* Ubique enim ferè locorum inveniuntur homines, qui de diuturnitate Processuum, de denegatioue vel saltim protractione Justitiæ querelas effundunt acerbissimas. Culpa non semper est in Judice, sed sæpius in Litigantibus ipsis vel avaris eorum Advocatis. Opponunt hi plerumque, si Rei (1) partes tueantur, Exceptiones innumeras à re principali prorsus alienas. Miscent Possessorium cum Petitorio, Reconventionem cum Conventione. Producunt scripta, quantitate molis laborantia, ut Referenti in perlegendo nausea creetur. Petunt ob levissimam sæpe causam Prorogationes & Dilationes æternas, quandoque verò in termino prorsus emanent (2), ut ansam nanciscantur de contumacia disputandi. Et si tandem post tot anfractus post tot discrimina rerum sententia definitiva sequatur, confugiunt ad remedia suspensiva, devoluriva &c. & abutuntur beneficio Restitutionis, Revisionis, Leuterationis Declarationis, Appellationis &c. Percurrunt omnes Instantias & executioni manibus pedibusque resistunt. Interim aliquid fit, & Actor vel ad inopiam redigitur causamque deserit, vel sequitur vulgatum illud: ein magerer Vergleich ist besser als ein fett Urthel; (3) & acceptà dimidiâ vel minori petitionis suæ Summâ, liti lubens renunciat. (4) His igitur consideratis mirandum non est, si Judex superior Paribus de justitia protracta apud se conquerentibus non statim annuit, sed vel denegatis Processibus, eas ad Judicem competentem remittit, vel prius Excitatoria, Monitoria, Promotoriales aut Mandata de administranda justitia intra certum terminum decernit, antequam causam

ad

ad se vocet. Et talis etiam Praxis servatur adhuc hodie in Summis Imperii Tribunalibus. Ibi enim Partes non prius citantur, quam cùm Judex his Processibus non obtemperat, & justitiam notoriè protrahit vel denegat, idque implorans per documenta aut alio legitimo modo (5) satis probare potest. Tunc demum enascitur casus, de quo heic loquimur, quòd nimirum Mediatus, spreto foro ordinario, ad excelsa hæc Dicasteria immediatè possit evocari. (6)

(1) Reorum enim proprium quasi est, fugere.

(2) Huc referri potest abusus Proclamatum in Camera Imperial, de quo vid. *Schlendrian. Aph. 7. p. m. 23. seqq.*

(3) Comp. Hert. *in Paræm. Jur. German. Lib. I. Paræm. 11.*

(4) Hæ sunt artes Rabularum quotidianæ; rariores & plures enarrantur in *Dissert. Inaug.* Jenæ sub Præsid. Bruckneri habit. *de Stratagematibus Advocatorum*, vulgo: von Advocaten-Streichen. Jung. Doct. ibid. citt. præcipuè verò *Brederod.*

(5) Qu. An admittatur Juramentum Perhorrescentiæ? Resp. affirmando per ea, quæ tradit Blum. *Proc. Cam. Tit. 37. n. 19. sq.* Hert. *d. Superiorit. territor. §. 30.* Beliz. *Proc. Civ. qu. 3. p. 36.* Lauterb. *Colleg. Theoret. Pract. Lib. 12. Tit. 2. §. 42.* Judicis tamen prudentis arbitrium non excluditur, cum constitutiones Imperii expressè nihil determinent. Deckh. ad Magenh. *P. II. t. 26. pag. 193. seqq.*

(6) Speyerischer Deputations-Abschied *d. Anno 1600.* §. Ob auch 27. Roding. *Pand. Cam. l. 1. t. 25. n. 13. 25. seqq.* Text. *ad R. J. N.* Disp. 2. §. 46.

§. XVIII.

Sine dubio ad nostram Tractationem etiam pertinet ille Casus, *ubi Princeps vel Dominus aliquis Subditos suos* coram Summis Imperii Tribunalibus *convenire vult.* (1) Hoc enim ipsi licere nemo ambiget; an verò casus hic in praxi frequenter sit sperandus, (2) longè alia est quæstio, quam tuto asserere non ausim. Comperunt hodie Principibus Germaniæ remedia multò promtiora ad compescendos subditos suos, quàm imploratio Judicis superioris. Quodsi via facti procedere nolunt, adsunt Judicia in Provinciis suis constituta, ubi subditi stare tenentur, (3) vel ordinant nonnunquam certos Commissarios ex suis & extraneis Ministris, qui, Partibus auditis, in causa pronunciant, vel

vel sententiam à Facultate aliqua Juridica petunt, eâque rem decidunt. Et hæc via omnium brevissima est & commodissima, modò turpe prosopolepsiæ vitium exulet, quod tamen sola remissione juramenti, quo alias Domino suo obstricti sunt Ministri; non semper evitatur.

(1) Roding. *Pand. Jur. Cam. l. 1. t. 4. n. 61.* Text. *ad R. J. N. Disput. 2. §. 48.*
(2) Ludolf. *Comment. System. sect. 1. §. 10. n. 48. p. 130.*
(3) Gail. *l. 1. O. 1. n. 18.*

§. XIX.

Porrò nec quisquam de eo dubitabit, quód primæ Instantiæ exceptionem opponere nequeat, *si ei* expresse vel tacitè *renunciaverit*, (1) seque jurisdictioni Supremorum Imperii Tribunalium sponte subjecerit. Præsupponendum tamen heic est, ut privilegium fori, cui renunciatur, principaliter & unicè in favorem Renunciantis sit introductum. (2) Nam, quando tertii jus & favor simul sub eo versaretur, renunciatio ejusmodi absque alterius consensu facta non subsisteret, sed declaranda esset pro nulla. Quilibet juri tantùm suo renunciare, neutiquam verò alteri iniquam conditionem inferri potest. Multò minus igitur inferiori licebit, in præjudicium Superioris sui aliquid admittere, aut jus ejus quæsitum & privilegia fori per Transactiones, Renunciationes aut alia pacta per indirectum evertere. Quodsi id fieret, sine dubio Domino suppeterent media, attendata & temeritatem ejuscemodi civium pro merito puniendi, & cives suos à foris extraneis revocandi. Jus Publicum pactis privatorum mutari aut tolli non debet, (3) & hinc facilè potest colligi, in quantum Mediatis aut Subditis Statuum hodiernis temporibus permissum sit, jurisdictioni Dominorum suorum patrimoniali renunciare, seque sine eorum consensu & licentia in alterius foro, etiam superiori, sistere. (4)

(1) Gail. *l. 1. O. 1. n. 29.* Roding. *Pand. Cam. l. 1. T. 4. n. 67.* Blum. *tit. 26. n. 30.*
(2) Gail. *lib. 1. O. 40. n. 2.*
(3) Per *l. 38. ff. d. pact.*
(4) Comp. omninò Lauterb. *Colleg. Theoret. Pract. l. 2. t. 1. §. 35.*

§. XX.

Novus emergit casus fundati Fori Cameralis, & rectè Mandata etiam contra Mediatum emanant, *quando is aliquem contra sententiam in Summis Imperii*

Tribunalibus latam turbare præsumat. (1) Judex enim, qui sententiam pronunciat, omninò eam manutenere & contra ausus temerariorum intactam & inviolabilem conservare debet, multò magis igitur hæc potestas Cameræ Imperiali & Consilio Aulico tanquam Judiciis supereminentibus tribuitur. Necesse tamen est, ut Actor turbationem sufficienter possit docere.

(1) Blum. *Proc. Cam. Tit. XXXIV. n. 129.* Lynck. *de Gravam. Extraj. Cap. 9. p. 2. §. 49.*

§. XXI.

Restant casus adhuc plures, quos recensere possemus, (1) sed quoniam partim in praxi rarò accidunt, partim verò ad Causas Fiscales, de quibus supra in §. X. & seq. satis pro instituti ratione egimus, referri queunt, non opus esse existimo, multa de iis dicere. Sic v. g. Casus, quem DD. etiam huc referunt, hodie vix est dabilis, ut nempe aliquis Judæos in Imperio Romano-Germanico foveat, (2) qui tamen privilegium non habet. Jus recipiendi Judæos competit hodie omnibus Principibus & Statibus Imperii vi Superioritatis territorialis, & hinc satis hi prospicient absque imploratione Judicis superioris, ne Vasalli & Subditi ipsorum Jura hujusmodi sublimia in Territoriis & Provinciis suis sibi arrogent. Prætereà nec illud facilè continget, ut Mediatus à Camera aut Judicio Aulico ob debita Cancellariæ Imperial. conveniatur, (3) quia hæc Litigantibus nihil expedire solet, nisi paratam habeant pecuniam. Illud verò quod in Causis Pauperum & pro completione *Protocolli* (4) debetur, tanti non est, ut ideò Procurator Fisci Processus *moveat.* Immò, etiam ratione hujus Cancellaria sibi in tempore prospicit, cùm remedia ipsi nunquam deficiant contra Debitores morosos. Et quod tandem ad Commissarios Cæsareos attinet, (5) illi pariter vix indigent auxilio judiciali in exigendis Salariis suis, cùm extrahens Commissionem, aut utraque Pars, plerumque sumtus Commissionis anticipando solvat. Interim tamen negandum non est, quòd omnibus hisce casibus, si quidem illi sese hodie exsererent. Mediatus à Summis Imperii Dicasteriis immediatè evocari & ad præstandum id, quod debet, adigi queat.

(1) Conf. Blum. *Proc. Cam. Tit. XXVI. n. 18. 21. 25. 37. sq.*
(2) Id. *tit. 34. n. 128.* Lynck. *d. Grav. Extraj. cap. 9. p. 2. §. 49.*
(3) Blum. *Tit. 26. n. 38.*
(4) Quid in Camera Imperial. dicatur Completio Protocolli, explicat *Schlendr. p. m. 59.*
(5) Blum. *Tit. 26. n. 20.*

§. XXII.

§. XXII.

Coronidis loco unicum addo Casum, eumque in praxi quotidie ferè obvium, quando nimirum Mediatum unà cum Immediato accessoriè convenio. (1) Fieri id potest *ob Continentiam Causæ.* Tunc enim nullum fori privilegium, (2) nulla personæ qualitas attenditur, sed Mediatus indistinctè forum superius sequi, (3) ibidemque respondere debet. Videmus id tota die in Pignorationum, Arrestorum & aliis ejusmodi causis, ubi Ministri & Officiales unà cum Dominis suis, quorum jussu & ratihabitione (4) talia facta perpetrârunt, à Summis Imperii Tribunalibus citantur. Introductum id est in favorem Actoris, ne in una eademque causa ad diversa fora distrahatur. Quæ autem requirantur ad Actionem hanc cum effectu instituendam, & quotuplici modo continentia causæ oriatur, (5) fusius docere possunt Commentarii Doctorum, (6) quos hoc loco repetere & exscribere supersedeo.

(1) Text. *ad R. J. N. Disp. 2. §. 49. C. O. C. P. II. tit. 9.*
(2) Et hinc nec Austregæ, vid. *Rec. Deput. Spir. d. anno 1600.* §. Gleichermassen 24.
(3) Carpz. *l. 2. Resp. 16. n. 19.*
(4) Quomodo ratihabitio probari possit, optimè docet *C. O. C. P. II. Tit. 23. §. ult.*
(5) Duodecim casus ex Mindano exhibet Blum. *Tit. 40. n. 30. sqq.*
(6) Præ reliquis verò Lauterb. *in Colleg. Theoret. Pract. l. 11. t. 2. §. 2.* ubi præjudicia habet, Jung. Struv. *Syntagm. Jur. Civ. Tit. Quib. reb. ad eund. Jud. eat.* ibique Petr. Müller.

§. XXIII.

Hæc itaque sunt, Lector benevole, quæ loco Speciminis inauguralis more consueto proponere debui. Thema hoc tam latè patet, ut, si pro dignitate id elaborare voluissem, longiori temporis spatio & pluribus subsidiis opus mihi fuisset. His verò cùm in præsenti sim destitutus, ignosces mihi, si in quibusdam nimium brevis fui aut prorsus erravi. Homo sum, humani à me nihil alienum puto. Tibi verò, ô Æternum Nomen! sit Laus & Gloria pro gratia tua indigno mihi hactenus præstita. Fac, ut viæ & actiones meæ directioni tuæ divinæ imposterum quoque maneant commendatæ!

F I N I S.